Opuscula

HEROICA
Virtutum & meritorum,
VESTIGIA,
AB
ILLUSTRISSIMO OLIM ET MAGNIFICO DOMINO,
D. PRÆCLAO
STEPHANO
IN SLUPOW
SZEMBEK,
CASTELLANO WOYNICENSI, &c,
Dum per Appiam mortalitatis, ad Capitolium Æternitatis progrederetur,
EXPRESSA,
Omnibusq; ad imitandum,
GENTILITIIS ROSIS
CONSIGNATA,
ac, dum Eidem
Justa Parentalia,
Cracoviæ, in Ecclesia S. CASIMIRI,
RR. PP. Ordinis Minorum, Strictioris Observantiæ Reformatorum, magno omnium dolore persolverentur,
A
M. SAMUELE PODGURSKI,
Phil. Doct. & Professore, C. M. S. ADALBERTI in Circulo Crac. Præposito, S. R. M. Secretario,
Dolenti calamo,
In memoriam tanti Senatoris,
DELINEATA.
Anno Christi, 1702. Die 27. Aprilis.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

JN STEMMA
ILLUSTRISSIMI OLIM ET MAGNIFICI DOMINI.



Gratia quàm florum brevis est, precepsq́; rapina?
Ah dum pubescunt, consenuere ROSÆ!

Mund. Symb.

Attamen arma inter, festinatosq́; labores,
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus.

Stat. lib. 1. Achil.

Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Tristi matteriam tempore laudis habet.

Ovid.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO
A SLUPOW
SZEMBEK,

DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPO VLADISLAVIENSI,
& POMERANIÆ,
Mæstissimo Inferiarum Fraternarum
PRÆSTITI.

PArentale hoc Epicedium & lugubres Nænias, dolentis animi ex obitu tanti Senatoris monumentum, quod Niobe Academica, non tàm sepiâ, quàm irriguis lachrymis exaravit; cum formidine (ingenuè fateor) Tibi Hospiti Gratissimo offero. ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE. Quippe cùm anno Iubilei Magni, Christianæ lætitiæ natali, jubilum Tibi gratulationis, inter festiva tripudiantis Poloniæ gaudia, ad solemnem Pontificatûs Tui ingressum cecinerim; & nonnisi hilariorum auspex & apprecator fieri optaverim; hodie acerbitate fatorum impulsus, novoq; doloris œstro percitus, quasi mente confusâ, ac in quendam stuporem raptâ, etiam hanc exilem tristium pagellam Celsissimo Nomini Tuo, audeo dedicare: quo facto, infandum

 Tibi

Tibi magis renovare dolorem, & recentissimum vulnus, vulnere sanare contendo. Si enim Respublica nostra, in tanto rerum turbine, cadentibus in tam brevi temporis spatio, suis Statoribus gemebunda, amisso quoq; hoc Lumine & Columine suo, Tragicũ præseferat squallorẽ; quantus Tua viscera lancinat mæror, qui in Fratre dilectissimo, dimidio animæ orbatus es. Macte tamen animo, Mœstissime PRÆSVL, & Senator Dignissime, spirantem solas Gratias vultum, Clientali obsequio non denega: imò æqui boniq; consule; quòd ad probandam stabilitatem suam in prosperis & tristibus, (sic enim humana volvuntur) sincerè, & candore Academico, Præcelsæ Domui Tuæ famuletur. Divisus inter plures dolor, lenior erit Tyrannus; & minùs feriet fraterna præcordia; si illius vires, mutuâ participatione, fuerint imminutæ. Imô mœstorum verus consolator DEVS, faustiores concedet vices; quibus, hic Autumnus in Vere, qui Gentilitias ROSAS Tuas deprædatus est, Elisijs gaudiorum perpetuis compensabitur. Quod cum longæva valetudine, & maximorum in Ecclesia DEI augmento honorum medullitus precatur.

ILLVSTRISS: & REVEREN: DOMINATIONIS TVÆ,

infimus Cliens,

M. SAMVEL IOANNES PODGVRSKI.

VESTIGIUM I.

Magnorum Aborigenum non jactatio, sed imitatio.

Perire omnem nobilitatis adoream in illo,
Cujus laus est in origine sola,
pridem arcanum veritatis aperuit Claudianus.
Aurora præcelsi Sanguinis,
licèt Natalis diei aurea hora sit;
parùm tamen sereni adfert, sinè sole virtutis.
Dives nè prisco ab Inacho natus,
cum orbe Majores censueris, nil interest;
si dedecorent bene nata culpæ.
Capacissimas Prosapiarum tabulas,
Spatiosa Aborigenum Nomina,
quid ostentare juvat?
si probitatis Numen nullum habeat Larem.
Inglorium sanè est,
stantes in Curribus jactare Æmilianos,
& tamen in præceps ruere vitiorum.
Ioves ipsos novimus;
in luco Idæ minùs lucis habuisse;
donec in virtute adoleuerint.
Scilicet hæc Diva, vera Cybele est, Mater Divorum,
quæ sola, castos laudatores sui habet Corybantes.
Adeo, nisi marmorei Cecropidæ, truncoq; simillimi Hermæ
audire velimus,
Majorum virtutes non jactare, sed imitari necessum est.
Talem Iovem Statorem nacta fueras
Præcelsa SZEMBECIORUM Prosapia,
Illustrissimum olim & Magnificum Dominum,
D. PRÆCLAUM STEPHANUM
in Słupow
S Z E M B E K
Castellanum Woynicensem, &c &c.
Senatorem æternâ memoriâ Dignissimum:

 Quid-

Quidquid in Europa, gesserunt SZEMBECII Herões,
legem suæ virtutis reputavit.
Quot Majores, tot ad rectefacta Hortatores,
vel ex elingui marmore, audire sibi visus est.
Factis nempe immortalibus loquuntur Heròés,
licet in mortis conticinio jaceant, taceantq́;.
Primus Isti Ascanio Æneas,
illud Heroicum insusurrauit monitum,
Disce puer virtutem ex me verumq́; laborem:
GERLACUS à SCHEMBEGK
Familiæ Proauctor.
CAROLUS MAGNUS,
Imperij Occidentalis Instaurator,
imò Oriens Occidentis,
Hunc invictum Bellatorem,
primus Aquisgrani, Insigni ROSARUM, coronavit.
Crevit posthac celsum ROSARUM Germen,
usq; ad HENRICUM VII. Imp: Roman:
Tandem ex tinctura hostilis cruoris,
Augustiorem Honorum Muricem sortitum est,
per CAROLUM IV.
Firmavit magis radicem FLORUM PETRUS,
Dante influentiam favoris,
MAXIMILIANO I.
Porro Progenies PETRI,
HENRICUS Tyrolis, PETRUS Prussiæ, EDVARDUS
& BARTHOLOMÆUS Marchiæ,
Gentilitijs FLORIBUS Nobiliora Tempe elegerunt.
Hîc applaude Tibi Polonia,
cujus laurigeris campis,
sui Nominis Monarcha,
SIGISMUNDUS AUGUSTUS,
SZEMBECIAS ROSAS implantavit.
BARTHOLOMÆO quoq; SZEMBEK superioris Filio debes,
Quòd Gentilitios FLORES,
in solo Tuo fieri curaverit Indigenas.
Tergeminus Frutex,
totidem auctus honoribus, in NICOLAO, STANISLAO,
& IOANNE SZEMBECIIS, reflo-

refloruit tandem in immensum,
in HIERONYMO & ALEXANDRO.
Quos Moldavicæ, Sudermanicæ, Moschoviticæ Victoriæ;
Sarmaticos prædicant Scipiadas:
solum Smolenscum nefasti nominis fuligine,
occumbentem infuscare voluit ALEXANDRVM.
Sed Lucis Filia Virtus Bellatorum,
magis refulget in occasu.
Felicior surrexit in Culmen gloriæ tantus Heros,
cùm sic ceciderit, ut Patria staret.
Verùm hîc attende calame,
Quàm nobile triumphi genus exhibuerunt
Bizantini, Tauricani, Moschovitici Triumphatores,
SIGISMVNDVS & VLADISLAVS,
Qui devictis hostibus,
Animos GABRIELIS, STANISLAI, CHRISTOPHORI,
PAVLI, & ALEXANDRI SZEMBECIORVM,
novis gratijs devicerunt.
Nempe liberæ Gentis Regnatores,
non aliter libertatem Civium mancipant;
quàm beneficijs obligando.
STANISLAI tamen & PAVLI præclaros Cineres,
ROSÆ æternùm coronant,
ex quibus Phœnices SZEMBECIÆ Domûs in Septemtrione videmus.
Vivis adhuc in tot Filijs immortalis,
Illustrissime, & Magnifice Domine,
FRANCISCE in SŁUPOW SZEMBEK,
Castellane Camenecensis.
Pantheon omnium Virtutum pectus Tuum,
Magnus IOANNES admiratus,
Priscam Polonorum integritatem
in Te resedisse autumavit.
Quidquid infandum Cacoëthes nova,
noviq; invexêre Vlisses,
in arce candidæ mentis damnâsti.
Præfectura Becensis, Curulis Sanocensis, tandem Camenecensis,
Lydium te Prudentiæ Lapidem monstravêre.
ODROWAZIORUM
 Cogna-

Cognatam Divis Familiam Tibi junxisti,
ut pote ipse effigies pietatis.
WIELOPOLSCIANUS SONIPES,
ROSEO Tuo calle cucurrit,
ut Tibi Novos ferret Argyraspidas.
RUPNIOWSCIORUM SRZENIAWA, Scamandro felicior,
Heroicum Domui auxit Decus.
In *Illustrissimo, & Reverendissimo,*
D. STANISLAO à Słupow SZEMBEK,
Episcopo Vladislaviensi, & Pomeraniæ,
Quem Innocentia Vitæ, Apostolicus Zelus,
impensi pro Publico labores,
Apricum niveæ mentis, sanctioris ævi Pontificibus exæquant,
in modum Auroræ, ROSÆ fulgent.
Perillustres, & Reverendissimi Domini,
MICHAEL, & ANTONIUS,
Coronarum Vavelli Uniones,
augent pretium in publico sole probatæ Virtutis.
Referent perennes fasti sinè fastu eminentem,
ILLUSTRISSIMUM IOANNEM REFERENDARIUM REGNI,
GUBERNATOREM BECENSEM, sanioris consilij Phœbum.
Explicat sua Victor arma,
ILLUSTRISSIMUS FRANCISCUS CAPITANEUS BOCHNENSIS,
sub Vexillo Curiæ Regni, quod magnis prehendit meritis.
Perillustris & Reverendissimus
D. LUDOVICUS CRACOVIENSIS & VARMIENSIS CANONICUS.
Verè Canon & Regula probitatis.
ILLUSTRES CHRISTOPHORUS & ALEXANDER,
Fratres Helenæ Lucida sidera,
Aras Divorum, focosq; Patrios, coronare ROSIS
non cessabunt.
Sed PAULINI Fruticis Surculus,
Illustris STANISLAUS SZEMBEK, Burgrabius Crac.
nonnè novam in Sobole Inclyta explicat Hesperiam?
Fefellit sua Vates Cortina;
è delicato Sanguine natas fuisse ROSAS,
cùm SZEMBECII Purpura Floris,
Odrysio Tauricanoq; cruore rubuerit,
Hostes persecuturus,

Illuſtris & Magnificus D. FRANCISCVS Tribunus Sandomirienſis,
ô quot trajecit Rubicones! nil obſtantibus monſtris.
Quantùm erubeſcit & ipſa pravitas,
Hoc Areopagitâ jura dante.
Ipſo ſub tempus Interregni Caduceum tenente,
Gentilitiæ CLIPEI SANDOMIRIENSIS LINEæ,
Veritatis fuêre Paralellæ.
Hæc Intelligentia Motrix,
SIDERA ſui Palatinatûs ita direxit,
ut nunquam erratica fuerint.
Perilluſtris, & Reverendiſſimus Dominus,
CHRISTOPHORVS ARCHIDIACONVS Pomeraniæ,
& Officialis Generalis Gedanenſis,
Quoties amore, more & ore Chriſtum circumfert;
toties Orthodoxæ veritatis hoſtes,
Palinodiam canere coguntur.
ILLUSTRIS & MAGNIFICUS D. ANTONIVS Burgrabius Crac:
Vnionem quidem hauſit, ſed non Cleopatræ:
Quia pretioſior Regnô eſt Vnio animorum.
Poſt hunc Ternionem Fratrum,
Tres iterum Gratias venerare calame,
In IOANNE, CHRISTOPHORO, ADALBERTO.
Hos, nedum emeriti ſenij, ſed etiam mentium candor,
certos honorum fecerat Candidatos.
Aſt illis ſolus ambitus ineſt meriti, non præmij;
Grandævi ſuæ Proſapiæ Triumviri,
ſummum honorem rati, DEI honoris cauſam tueri;
nunquam non captivum intellectum, in obſequio fidei tenuerunt.
Vnde licèt omnibus amici,
ſolis tamen hoſtibus Auguſtiſſimæ TRIADOS,
ſic faverunt, ut olim Pœni Romanis.
Impuriſſimi Arianorum & Sociniſtarum ſcarabæi,
Ipſorum ROSAS ferre nequeuntes,
aut emori, aut diffugere coacti ſunt.
Invaſor olim Regni Sueticus Leo,
eiſdem FLORIBVS coronari peroptaverat;
ſed aculeis punctus, vel ipſi Craſſo riſum fecit.
Nempe armat ſpina Roſas.
Quantum nominis augmentum aſſecutus,

Magnanimus Heros IOSEPHVS!
Quàm dignè Nomen Alexandri gerit ALEXANDER?
qui bellaria Martis sub IABŁONOVIO DVCE,
vel ad sterile Camenecum toties collegerunt.
Crescere illis & in saxo Palmæ debuerant;
quibus vigor influxit sanguinis Heroici.
Tantis Heroibus adjungat Fama immortalis,
Sacrum Bellatorem,
Perillustrem & Reverendissimum Dominum,
FRANCISCVM CANONICUM VLADISLAVIENSEM & POSNANIENSEM,
in theatro animorum, sapientiâ & pietate triumphantem.
Produnt Seraphici ignes & Illos SZEMBECIOS,
quibus in Vmbris Religiosis latere volupe est.
Maxima equidem sublimium gloria est,
quàm maximè se submittere:
At Vos edomitis passionum monstris clari Alcidæ,
vel triumphales FRANCISCI manus elevant,
vel Stellatus Carmelus illustrat,
vel ignei PATRIARCHæ flamma, facit illustres ab umbris.
Vastiores alijs SZEMBECIIS parabit fastos,
Architecta gloriæ Virtus,
Tu levior penna, tenuitatis tuæ conscia, siste gradum.
In Illustrissimo olim & Magnifico D.
D. PRÆCLAO STEPHANO SZEMBEK,
Castellano Woynicensi, &c.
Corona SZEMBECIÆ gentis est,
quot Virtutibus, tot gemmis distincta.
Superbire tamen alieno pretio noluit,
nisi suum addidisset.
Prudentissimus suæ Ithacæ Laërtiades,
propriâ Virtute nomen immortale quæsivit.
Nam ignavorum tantùm hæc insania est,
ante Iovem & Saturnum Atavos jactare,
& tamen nihil dignum Ioue agere.

VESTIGIUM II.

In arena Palladis & Gradivi,
Seria, & victoriosa negotia.

Lacænas

Lacænas Matres ſuperat Polonia;
dura tolerare ſuos, à teneris docet.
Palmas ut metere aſſveſcant,
quibus aſperior cortex eſt,
non delicatas manus habere jubet,
Princeps Ales Noſter, portandis fulminibus aſſvetus,
pullis ſuis non ſtruit nidum, molliùs ut cubent,
ſed incommodis commodiùs exerceantur.
Illuſtriſſimus olim, & Magnificus Dominus,

PRÆCLAVS STEPHANVS SZEMBEK,
Caſtellanus Woynicenſis, &c.

Heroicam Polonorum Legem à Romanis tranſumptam,
fortia agere & pati,
vel in Panathenæis Palladis obſervavit.
Aſperò in colle habitantes Camænas, indefeſſo adijt paſſu,
Erudita otia omnibus negotijs prætulit:
in ludo literario ſeria tractans,
Catonis animum præſetulit.
Nunquam illum Roma Noſtra malè præcinctum vidit,
in Aurora oſtendit,
qualem diem in Poloniæ Polo facturus erat.
Vnde Cracius Apollo non vanus augur erat,
Eum, inter Patres Poloniæ Conſcriptos Tullium futurum;
qui adhuc in gremio Muſarum, digna Senatu dixit, & egit.
Quidquid Colophonios & Areopagitas ſapit;
id mente volutabat, vultu monſtrabat.
In ipſis fundamentis, Heroici animi molem poſuit,
in brevi conſummatus, & Seipſum excedens.
Hoc faſtigium inculcat penna,
ut ſcias, quales quantosq; Viros, Craciæ Athenæ,
ad togam ſagumq; erudiverint.
Nam & Milciades Noſter,
à ſilentijs Muſarum eruditis,
ad armorum ſtrepitum animoſior convolavit.
Sub Cognatis WIELOPOLSCII Signis,
in tyrocinio Veteranum egit SZEMBECIVS.
Exercitum aſſiduis prælijs & victorijs, hic tantùm Eum ambigit,
qui æterna eſſe in Polonia bella ignorat.
Nempe Poloni Gradivi Soboles,

nè gentibus invisis in prædam cedant,
dormientibus Philippis,
vigilantes ordinant Antipatros.
Nostris certè periculis, alij securi,
nostris ruinis stantes,
nostris infortunijs fortunati.
Ad hoc enim Antemurale Christianitatis,
primò subsistunt, & suâ mole obruuntur barbari.
Contra hos Centauros
Pegasi WIELOPOLSCIANI ope,
toties volavit ad victorias
Bellerophon, Vir innocentiæ SZEMBECIUS,
quoties Ioves Poloni permisêre.
Leonidam dixisses,
qui suis vulneribus, salutem Patriæ reparare anhelavit.
Clipeum Se Patriæ noverat,
ROSIS Coronatum,
quæ, nè inter ardores bellorum arescerent,
hostili sanguine eas irrigavit.
Felix Polonia foret,
si ex utroq; ejusmodi Cæsares haberet.

VESTIGIUM III.

Religionis intemeratæ, justi æquiq; observãtia.

Orbis capulari senio deformis, cur insaniat?
Tripodem ne fatiges.
In præceps exitij ruit, hic OEdypodes,
quia in Patrem Matremq; impius est.
Liberam olim fuisse Gigantomachiam, vetus commentum est,
sed tamen punitam.
Hodie audacior Phlægra,
Cœlum ipsum petit stultitiâ,
vetioremq; Iovem deturbare nititur,
& fulmina non torquentur.
Furentes Phlygeæ Superos contemnunt,
sanctioris Berecynthiæ viscera rodunt,
genimina viperarum;
& Solones Legem contra tales parricidas non rogant.

Exala-

Exclama Tulli! ô tempora; ô mores!
novi Catilinæ & Cethegi capita factionis;
Capiti Orbis ruinam moliuntur.
Præter Hæresum Lærnam,
nova monstra prodeunt, Libertini.
Proh inversus Themidis Ordo!
olim ex servis Libertini fiebant;
hodie ex Libertinis mancipia Plutonis.
Creditur & vivitur ut libet, non ut licet decetq;.
ô præclara Libertinorum privilegia!
quibus tam stolidè pereundi datur facultas.
Huc ades ostentum informe, cui lumen ademptum!
palpa Vestigia SZEMBECII.
Hanc ille licentiam non ad Latomias modò,
sed ad Tarpeium saxum & Gemonias scalas damnaret.
Religionem salutis Auspicem,
tam impenso studio coluit; út vitæ anteferret.
Tunc se Lacone liberiorem censuit;
cùm maximè DEO, Ecclesiæ, legi, subjectus esset.
Novitatum Sæculi alter Cato,
Fidei veræ Assertor,
sine illa, ut animas salvari;
ita Regna stare non posse, aiebat.
Quoties enim mota est Religionis anchora,
toties periclitabatur Reipublicæ navis.
In sacris tutandis Numa,
ne quidem nutu Ecclesiasticam immunitatem læsit.
Exosus illos Salustios,
qui, cùm nec teruntium in Divorum pulvinaria impenderint,
opulentiam Mystarum, aculeatis Philippicis exprobrant.
Volupe Ipsi erat,
Sacris Familijs præsertim Minoriticæ,
non dici, sed esse Mecænatem.
Sed, cùm Religionis Mater Iustitia sit,
Sacras illius lances, Phocionis more,
ubiq; adhibebat, non sinè sale.
De cælo descendisse diceres Astræam,
incorruptâ tanti Senatoris conscientiâ illectam.
Toties in Areopagis Lechiæ Iudex,

in Commissione Leopoliensi Arbiter,
Rhamnusium egit.
Sæpiùs tamen Ejus arbitrio,
Iustitia & pax osculatæ sunt;
quia juratus rabiosi jurgij hostis,
svavioribus æquitatis remedijs omnia componebat.
Quidni igitur Coronam Ei dederit Iustus Iudex?
qui, ita Cursum vitæ suæ consummavit;
ut fidei & justitiæ tanta Vestigia relinqueret.

VESTIGIUM IV.

In publicis Consilijs & Conversatione sinceritas, amor apud Ordines & æstimatio, ac exinde cum OPOCIANA Familia Colligatio.

Anima Reipublicæ Consilium,
in cordenè an in cerebro sedem fixerit?
Sanior Politia litem dirimat:
mihi tamen Regia Cordis magis arridet,
Spirituum Vitalium & amoris Officina.
Appage Cerebrosos Consiliarios,
qui in duabus Sellis sedent,
pallium omni vento obvertunt.
Veri Chamalæontes,
utriusq; fortunæ auram captant.
Nec Cælites, nec Terrigenas illos dixeris,
qui uno oculo Cælum, altero Terram spectant.
ô Vertumnosos Consultores!
quorum hodie ferax sæculum:
qui præferunt Regionem Religioni,
Regnum fidei, Rempublicam Ecclesiæ; Principem Christo,
terrena cælestibus.
quibus partes Cæsaris & Pompeij sequi, solenne est.
omnium temporum & horarum homines,
bicipites Amphisbenæ.
Talem olim rorido vultu suspexit Orbis Iulianum,
qui, cum Constantino & Christianis erat Christianus,
cum Gentilibus Gentilis:
modò palliatus, modò togatus.

Non

Non admisit hos Chamalæonteos colores,
Purpura Senatoris SZEMBECII.
Semper integrum & cum bonis ambulantem,
vidit Eum Polonia.
in Comitijs particularibus & Generalibus,
non pro domo sua, sed pro publico bono Tullius.
Tiberiana ænigmata nunquam locutus in voto.
Consonum legibus suffragium,
Sphynge non indigebat.
Primus se jurejurando obstrinxit
sub tempus Interregni,
sine auro, pro aureo PRINCIPE suffragaturum.
Palatinatûs Cracoviensis Cor & Anima,
dictis regebat animos, pectora mulcebat.
Integritatem Viri, omnes venerati & admirati,
Legionarium suum, pro electione,
Serenissimi & Invictissimi AVGVSTI II.
Voto nullius refragante, elegerunt.
De Platone olim prodidit adulatio;
si Dij cum hominibus loquerentur;
Plato aut interpres esset, aut eloquium commodaret.
SZEMBECIVS ROSAS Veritatis locutus,
sine aculeis tamen;
humana excessisse videbatur.
Inter tot discolos animorum sensus, concors in Eum Votum,
ut primas functiones in Palatinatu obiret.
Vir ex asse communicabilis,
neminem à facie Sua tristem dimisit.
Hinc, præcelsis in Polonia Familijs associatus;
firmiorem in SCVTATA OPOCIA DOMO fixit amorem.
O & præsidium & Dulce Decus Patriæ,
SCUTUM OPOCIORUM!
Primam Hospitem in Polonia Coronam, salutâsti & defendisti.
Boleslao Chabri Herculi Sarmatico,
post devictos triumphatosq; Cassubios, Moravos,
Prussos, Russos, Saxones,
Columnas ad Balticum mare ponenti, præsidio fuisti.
Geminæ jam elapsæ trieterides seculorum,

 ex

ex quo publicos in usus servaris, quia Patriam servâsti.
O Parma nulli penetrabilis ferro!
quâ armati Persei Sarmatici,
hostes præ metu in saxa rigescere fecerunt.
O cælo delapsum Ancile!
Lechicum Pompilium armans & ornans,
Illustrißimum olim & Magnificum Dominum,
D. PETRUM de OPOKA OPOCKI,
Castellanum Visliciensem,
PODŁĘSCIIS, MARCHOCCIANIS, PĘKOSŁAVIANIS, TVLKOWSCIANIS, LIPOWSCIANIS, HINKOVIANIS Chrysaspidis stipatum:
Qui sub OSTROGIANA CRVCE
Thracium Ilium oppugnavit & expugnavit.
in Te Lechica Pallas,
Illustrissima & Magnifica Domina,
MARIANNA de OPOKA,
memorati Bellatoris Filia, nunc mœstissima Niobe,
SZEMBECIVM, Socium Vitæ, & Cor cordis sui excepit.
Per TE ô SCUTUM TRIUMPHALE reptantes,
Illustres & Magnifici,
FRANCISCUS, & STANISLAUS SZEMBECIJ,
Magnæ spei Filij, in Scipiadas adolescunt,
Geminæ quoq; Pulcheriæ,
ANNA, & ELISABETH,
à Te Masculam Virtutem desumpsêre.
Porro Tu Fama,
in OPOCIO Scuto scribe ROSEOS characteres
gloriæ SZEMBECIANÆ,
& in morte Magnum SENATOREM, proclama immortalem,
quia magnis in operibus Superstitem.

VESTIGIUM V.

Fidele Serenissimis Regibus Poloniæ IOANNI III. ad Viennam Victori, AVGVSTO. II. Coronam prensanti.

Corrupto ævo, quo laus à crimine sumitur,

San-

Sanctissimum generis humani bonum, FIDES;
Phænice rarior est.
Olim fideles Zopyri;
Non unam Babylonem Dario quæsierunt,
hodie Regna eripiunt:
quibus etsi aurea labia aptaveris,
fraudes tamen & dolos loquuntur.
Thyësteo Convivio digni,
qui amici sunt tantùm mensæ.
quibus, quò majora beneficia præstiteris,
eò magis irritantur.
Non alit hujusmodi Sinones,
Sedes candoris,
SZEMBECIA DOMUS,
Polonorum elogium:
REGEM posse securè dormire in sinu cujuslibet Civis,
vel ipse jure sibi usurpârit;
PRÆCLAVS STEPHANVS
SZEMBEK
Castellanus Woynicensis, &c.
Triumphator Triumphatorum,
IOANNES III.
REX POLONIARUM,
Alcides Sarmaticus,
Cùm Hydræ Orientali ad Viennam capita abscinderet,
Hunc Theseum Comitem habuit,
non spectatorem, sed Bellatorem.
Periculum Vitæ præsentissimum,
postposuit periculo totius Christianitatis.
Prodigus Vitæ,
si illam profundere potuisset.
Quanta Virtus Regis! quanta & Civis!
dum proximus ardet Ucalegon,
ignem, etiam sanguine velle extinguere.
Hodie propria Domus Vulcanum alit,
& nemo vel stillam in tantum incendium fundit.

SERENISSIMUS & INVICTISSIMUS
AVGVSTVS II.
Cælo planè Polonis demissus ab alto,
à SZEMBECIO, primùm in limitibus Regni,
deinde ad Metropolim salutatus;
Ejusdem Candori, Vitam, Honorem, Diadema,
& Vrbem commisit.
Non invidemus Athenis integerrimos Zenones,
apud quos Claves Vrbium deponebant:
sub SZEMBECII fideli tutela
securior fuit Fortuna Regni.
Habuerint Tiberij suos Sejanos,
SZEMBECIVS, Coronato Capiti ita adhæsit,
ut exemplo suo plures adhærere fecerit.
Nihil enim magis fatale est Corpori Reipublicæ;
quàm si membra à capite dissenserint.
Idem publici Boni amor,
componendis motibus intentus,
etiam Radomscensis Commissionis arduum negotium,
suscipiendum Illi facilè persuasit.
O Polonæ Majestates!
nullum Serenitatem Vestram obumbraret nubilum;
si tale sudum & candorem mentis
omnes explicarent.

DIALOGISMUS
VATIS ET LIBITINÆ.

QVæ Tibi fatiferis truculenta potentia Regnis
Eſt data? quæ rabies? furijs comitata malignis,
Ah miſerum dictu, qvàm lamentabile mundo
Invehis exitium, moriendi mille figuras!
O Libitina ferox! pullato Syrmate Regum,
Purpureos mutas crebro properata decores,
Oſſificis pedibus, Soliorum culmina calcas;
Funereasq; faces geſtando, nefanda ſerenos
Extingvis vultus, faſces, diademata, ſummis
Regibus ex manibus tollis, torquesq; ſupremo
Vertice. Qvid vaſtum præceps ſpatiata per Orbem,
Non tentas violenta diu? Grandæva Senatûs
Majeſtas, haud tuta manet; conclave Sacratum
Ingrederis, rumpens ſuffragia docta Catoni.
Cecropias arces, ubi Romulidumq; Curules
Invadis, conſulta ſilent Oracula Patrum.
Scandit Victor ovans, Capitolia celſa Leone;
Explicat immenſos Cæſar poſt bella triumphos;
Hunc nedum occiduus reverenter Phæbus adorat;
Nedum belligeros Araris Rhodaniq; potores
Victos ac vinctos ducit; Tarteſſia tellus,
Magnanimis opulenta Viris, pretioſa metallis,
Victori fit præda ſuo, penditq; tributa,
Extremiq; ruunt portantes dona Britanni;
Aſt & Roma Caput mundi Sedesq; Gradivi,
Sangvinei tremebunda veretur Cæſaris iras:
Sed præcelſa diu Cajum tenuitnè ſuperbum
Gloria? terribilem miſereri neſcia, falcem,
O Mors vibrâſti! cæſus Cæſar, jacet, armis,

Lauriferis miserè spoliatus, mansit eburno
Detrusus solio, fatorum ac ipse trophæum.
Pompeius struxit pompas, Orienteq; toto,
Contribuente tulit Romanas Victor in arces
Qvantas exuvias? Spectacula rara triumphi
Exhibuit? nedum vinctos post terga Monarchas,
Ostentans gentes, Fluvios, castella, lacusq;
Sed quod tunc orbis stupuit, stupuitq; Quirina
Maiestas: montes auratos prætulit ante
Gemmiferos currus, vexerunt quos elephantes.
Ast, ô quàm lætos lethum mutare triumphos
Nôsti! flebilibus luxit sua funera lessis
Pompeius, Victor victus, ceciditq; premente
Fato: *Sic tantos humana negotia motus*
Alternaq; vices miscent; hoc turbine fertur
Victorum lethalis honos; laurosq; Cupressi
Oppressere: cadunt crudeli morte Tyranni.
Et bene non parcunt Parcæ, Nemesisq; superbis;
Quos Patriam miscere juvat, Civilia bella,
Fatalesq; placet persæpè ciere Philippos.
Ast ROSA delicium Pæsti, Reginaq; florum
Flos Regum, Augusto meritorum murice dives,
Quid nocuit, Lechicæ triplex Cynosura Salutis!
Cui nocuit Patriæ decus atq; corona Senatûs?
Hostes duntaxat Cuius pungebat acumen;
Cuius odoratum solus Scarabæus abhorret
Cælesti ambrosiâ plenum; quam Purpura vestit,
Innocuusq; rubor, verecundo fulget ab ore.
Heu gemmas florum Lachesis succidis acutâ
Falce! nec immitis croceum vernare ROSETVM
Permittis! Sævos tantùm plantare dolores,
Ah consueta diu! potuisti funus acerbum
Longius in spatium differre; celelebrior ævo
Floreret Lechicus Nestor, ROSEVSq; Senator.

Desi,

Desine luctificos questus geminare Pöëta;
Improperas fatis: (inquit Libitina) solutos
Quæ curis homines tollunt super æthera, ducunt,
Heroum Manes meritos, cumulantq; perenni
Vitâ, & honore novo; quos in Capitolia Cæli,
Augusto terris revehunt augentq; triumphö.
Iam matura Polo ROSA, sat radiavit in Ostro
Arridens superis, in amæna ROSARIA Cæli
Transplantanda fuit; Meritorum murice postes
Sidereos ornat, durando sæcula vincens,
Iam Boream sêcli ridet brumæq; rigores.
Incolit Elisios Campos, æterna salutis
Regna tenet; miseras trepidâ formidine mentes,
Nullus vbi cruciat luctus, nec mordet anhelum
Sollicitudo Caput. Vester STEPHANVSq; coruscum
Iam Stephanoma capit; supremâ voce precatus
Heroum Genitrix, Divûm Berecynthia Mater
Terra Polona Tibi, solatia mille, triumphos
Innumeros; secura quies & nescia belli
Sarmatiæ redeant vt sæcula, priscaq; Virtus.
Rex AVGVSTE Tuis Victoria prospera factis
Advolet, hostiles felix superare phalanges
Vt valeas; melior faveat fortuna Polonis
Hercule sub tanto; bellorum monstra quiescant.
Vobis ô Proceres Magni! Collega Senator
SZEMBECIVS, Votum mortali mittit ab Vrna;
Vivite felices, Patriæ, Lechiq; Penates
Consilio fulcite piô, communeq; Regni
Instaurate Bonum, cordisq; reponite fibris.
Et Tibi Cujaviæ PRÆSVL, Germaneq; compar
Quas referam grates? quòd tantum munus ad aras
Obtuleris, Superos pro me placando. Secunda
Cuncta Tibi veniant; Pilio prolixior ævo
Vivas ad summos faustè provectus honores.

Cùm verò OPOCIÆ, proſcindit viſcera Nymphæ
Vulnificus mæror, ſocialia vincula rumpens:
Hoc ſolamen Ei Conjux in corde ſuperſtes
Mittit & ingeminat, niveo de pectore voces:
Vive valeq; diu Lechiæ Cornelia, fidum
Præſidium, fulcrum vitæ, tutela ſalutis.
In longum formoſa vale, nec triſtibus aures
Ac auras Niobes mæſtæ ploratibus imple.
Tolle ROSAS, qvas linqvo Tibi, ſolatia cordis,
Pignora lætitiæ, Columen, ſpem, ſuſcipe Natos,
O Fili FRANCISCE, ſequi veſtigia cures,
Hæc, quæ ſigno Tibi; ROSEO STANISLAE calle,
Ocyus ad Collem probitatis, tendite dextri.
O præclara vale FRATRVM Vireasq; Corona!
Et conſangvineus nexus, ſignumq; ROSARVM
Qvos junxit, valeant, valeat bene Patria. Dixit.



Mors nescit legem, tollit cum paupere regem

